DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

ANGINA TONSILLARI.

10

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE ANGINA TONSILLARI.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

THOMAS WALLACE,

HIBERNUS,

————amoto quaeramus ſeria ludo. HOR.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

Viro Egregio

C A R O L O K I N G

D E F O R E D R O S S,

Vitae integritate,

Comitate, atque erga omnes benevolentia,

Inſigni,

In Comitatu Tyronienſi

A R M I G E R O,

Qui nuperrime fuit Senatorum Hibernorum unus;

Viro necnon admodum reverendo

A N D R E A E M I L L A R,

Qui,

Praeter alias virtutes,

Animi eximias dotes poſſidet:

His, plurimiſque beneficiis in ſe

Et ſuos variis temporibus,

Quae contulerunt illi,

Adductus,

Haſce ſtudiorum primitias,

Exiguum, ſed grati animi, teſtimonium,

Maxima, qua decet, obſervantia,

Dicatas voluit

T H O M A S W A L L A C E.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ANGINA TONSILLARI.

QUONIAM vitae ſervandae tanti ſunt pulmonum et ventriculi munia et officia rite perfecta; et quoniam neceſſe eſt iſta, quandocunque fauces, larynx et pharynx male ſe habeant, plus minuſve laborent; earundem partium affectiones certe non leves ſunt habendae; iſtae autem praeterea non paucae ſunt: Quia vero in hujuſmodi diſſertatione non niſi unam tractandam eſſe expectabitur, de Angina Tonſillari diſſerere fert animus.

Apud Graecos, praecipue recentiores, magna nominum diverſitas occurrit, ad hos morbos deſignandos,

 qui

qui impedimento vel dolore partium deglutitioni vel reſpirationi inſervientium, illas binas functiones ſimul, vel et ſingulas turbant; hoc non nos facile effugiet, inter perlegendum commentaria iſta, quae ſcriptis Boerhaavii adjunxit Van Swieten. Haecce vocabulorum varietas, ſicut auctor jam citatus adnotavit, quandam confuſionem nobis offundit; cum non omnes eodem vocabulo, eundem affectum deſignaverint. Latinis quidem mos fuit, non tam fuſe hujuſmodi incommodis nomina indere; et ii forſitan propterea magis accurate, quid et quale aderat iſtud incommodum, quod hoc aut illo nomine indicare voluerunt, nobis ſignificarunt; namque apud eos Angina fuit ſolum nomen uſurpatum, ad hos morbos deſignandos, qui ſigna ſupra memorata exhibuerunt.

In opinionem vero nequaquam ire poſſum quam Van Swieten, aeque ac Latini amplexi ſunt, ſuadentes omnia incommoda, quibus deglutitio et reſpiratio obnoxiae ſunt, quorum cauſa ſupra ventriculum pulmoneſve ſita, ſub uno nomine deſcribere convenire; multoque minus id prorſus neceſſarium eſſe; ſicut enim idem illuſtris auctor monuit ipſe, contractionis vel anguſtiae quoddam angina ſignificat: At quidem iſtis partibus inſideat morbus, et interea ne aliquid tale contingat; nempe quum paralyſi laborat oeſophagus. Quoniam ergo cunctis ratum fuit, atque pro ſtatuto et juſto habitum omne nomen, quo aliquis deſignatur morbus,

morbus, iſtius indolem debere, quantum fieri poteſt, exprimere, certe a recto longe digrederemur, ſi a nobis Angina oeſophagi paralyſis nuncuparetur.

Attamen, me ſaltem judice, quia morbo, de quo hic diſſerendum eſt, hoc nomen, quantum ad noſtrum pertinet negotium, convenit; et quia a ſcriptoribus noſtratibus ei inditum fuit, idem hic uſuſpari viſum eſt non abſonum.

DEFINITIO.

Pyrexia ſynocha non contagioſa; membranam faucium mucoſam, et praecipue tonſillas tumore et rubore afficiens; deglutitio et aliquando ſpiratio difficiles, cum anguſtiae in faucibus ſenſu *.

HISTO-

* Synopſ. Noſolog. Method. Culleni.

HISTORIA MORBI.

In plagis frigidioribus angina tonſillaris, ſicut aliae ejuſmodi inflammationes, praecipue infeſta eſt *: Hinc forſitan colligendum videtur, eandem maxime in brumali tempeſtate ſaevam eſſe; vere autem et autumno, quando calor alternatur frigore, homines maxime adoriri ſolet †: in omni quidem anni tempeſtate ſe manifeſtat, etiamſi in his quam in illis rarius.

Anginae magis juvenes quam aetate provectiores obnoxii ſunt ‡; eidem nec non prae aliis iſti, qui ſanguineo temperamento gaudent; ea nec non facilius arripi ſolent mares quam foeminae ||; Sydenham denique adnotavit, in eam praecipue incidere eos, quorum capilli ſunt rufi.

Angina tonſillari ingruente, fere adeſt horroris plus minuſve ubique corporis diffuſum: Si ſimul aut cito poſtea moleſtiam ex quaſi quoddam ſcabrum conqueritur aeger §; dolorem, nec non et ſenſum anguſtiae cujuſdam

* Huxham.

† Cullen's Firſt Lines.

‡ Cullen, Home, Sydenham.

|| Homei Princ. Med.

§ Ib.

dam in faucibus: Haec poſteriora inter aliquid deglutiendum plerumque primo perſentiuntur; et, antea forſitan quodammodo inquietantia, nunc admodum exaſperantur; dolor autem praecipue.

Conſpectis faucibus, tumoris aliquantulum et rubor inſolitus tonſillarum ſe in conſpectum edunt: Plerumquė in hac tonſilla, quam in illa magis, inchoantes tumor et inflammatio ſe oſtendunt, et in ea poſtea ſubſidentes, alteram vehementius, quam antea tumore et dolore afficiunt *. Van Swieten nos monuit, hoc interdum contingere, poſtquam tonſillae lateris hujus aut illius inflammatio uſque etiam ad ſuppurationem progreſſa eſt.

Tonſillarum tumor jam inceptus haud raro in magnam augetur molem; in tantam nempe aliquando, quanta haud levem timorem aegri ab eo ſtrangulandi inferat †. In cunctis hujuſmodi inflammationibus, non raro partes vicinae ut larynx ‡ et oeſophagi initia || eiſdem affectionibus corripiuntur: Facies nec non fere praeter ſolitum rubet, et aliquantulum tumet; atque non ea tantum, ſed praeterea collum et lingua, una cum labiis et oculis magnopere turgent §.

Alimentum

* Cullen's Firſt Lines.

† Van Swiet. Comment. in aphor. Boerhaavii, Homei, P. M.

‡ Ib.

|| Cullen's Firſt Lines.

§ Van Swiet. Comment. et aphor. Boerhaavii.

Alimentum omne ſub hoc morbo ſemper aegre aſſumitur; magiſque, quo provectior eſt idem; et revera tanta interdum ſit haec affectio, quod nihil ore aſſumi poteſt, niſi in pharyngem inſtrumento idoneo inducatur; atque etiam mitiſſimum vicinas partes nonnunquam tam facile irritat ut tuſſis cieatur, et id ore aut naribus ejicitur. A M'Bride obſervatum fuit, quod cum inflammatio unam ſolummodo tonſillam afficeret, aeger, quamvis non ſine dolore, non tamen admodum difficile, poteſt deglutire; at et idem et alii aſſeverarunt, quod quandocunque tonſillae ambae inflammatur una, et tumor ingens obortus eſt, tantus ſaepe dolor angit, et tam vehemens eſt affectio, quod tremores ingentes exinde conquaſſant, quos ſolet excipere largus ſudor; immo convulſiones nonnunquam hoc modo induci dicuntur.

Multo difficilius interea fluida quam ſolida aſſumuntur; non autem majori difficultate aut dolore, quam a locis infra partes affectas ſitis, ſurſum ejiciuntur, tuſſi aut alio modo; quod quidem praecipue incommodum eſt ob ſalivae glutinoſae copiam; quae in hoc morbo larga nec ceſſans emanat *.

Reſpirationem magnopere nonnunquam laborare, ſupra fuit adnotatum; ſubjiciatur vero hic iſtam affectionem non admodum crebro contingere; ſed fere immunem

* Gregory's Pract Phyſ.

immunem perſtare, et ſubinde prorſus illaeſam eſſe: Sydenham aſſeverat, ſpiritum per nares non recipi poſſe; hoc quidem non ſemper, ſed plerumque contingit.

Incommoda, quae huic malo adjungi ſolent, fere ſemper non partes nunc memoratas infeſtant ſolas; namque in auribus haud raro dolor non leviter vexans percipitur, et cum eo faucium communicare ſentitur: Huic aurium affectioni quaſi crepitatio adeſſe dicitur, praecipue inter deglutiendum; et nonnunquam, ſed rarius forſan, ex eo depravatur auditus.

Signis iſtis pyrexiam inflammatoriam adeſſe, pulſuum, ſanguinis, &c. conditio teſtantur; eaque nonnunquam dolore, ſed maxime gravitate capitis, cibi appetitu deficiente, et nauſea ſtipatur *: Sed interdum quidem, tam lenis eſt morbus, exiguo tumore, reſpiratione illaeſa, deglutitione parum impedita, quod omnis febris prorſus abeſt.

Intra paucos dies hic morbus plerumque ſuum curſum peragit: Suppuratione nonnunquam finitur; reſolutione autem ſaepius, ſudore leni profluente, aut urina copioſius reddita, aut etiam ambabus his ſecretionibus auctis †; ſubinde decedente morbo exiguae oriuntur vibices, corpuſcula quaedam cruſtis mucoſis obducta efformantes ‡: Cum ille ſuppuratione finitur, ea in

* Sauvage Noſolog.

† Home's Princ. Med.

‡ Huxham.

in una, vel in altera, aut in ambobus tonſillis fere ſemper accidit; ſed non ſemper in iis ſolis ſeſe exhibet; aliquando enim in aliqua faucium parte aut gutturis ſuperiore abſceſſus formatur *; nec exempla deſunt, ubi collum externum tumore ſuppuratorio corripiebatur †.

Multis aliis in modis deſinere ſolet hic morbus, ut dictum eſt; pleriquc autem iſtiuſmodi fines fere lethales ſunt; quamvis revera vix unquam morbus ipſe periculoſus ſit habendus: Mala hoc inſequentia nonnunquam ſunt quidem, gangraena partium illarum inflammationem excipiens, tumores ſchirrhoſi ‡; aut ad caput affectione tranſlata, delirium et phrenitidis ſolita ſigna ||; aut, ad pulmones, ſigna pneumoniae graviſſimae §.

REMOTAE CAUSAE.

Hae ſunt aut *praediſponentes* aut *excitantes*. Ad priores referantur ſequentia; quando enim homines ad

acmen

* M'Bride.

† Van Swiet. Comment.

‡ Van Swiet. Boerhaave, Greg. P. P.

|| Greg. Pract. of Phyſ.

§ Van Swieten.

acmen ſuam, florente juventute, progrediuntur, quare huic affectioni ſunt tantum prae aliis obnoxii, hic indagandum eſt. Tali aetate ſanguis ad caput, quod citius quam aliae partes in omnibus evolvitur, et juſtam magnitudinem adipiſcitur, aucta quantitate propellitur; hincque arteriarum tunicae citius denſae, firmae et craſſae fiunt, atque impulſo humori obſiſtunt; ita ut pars illa non amplius augeatur *. Rebus ſic ſe habentibus, in iſtis partibus una cum plethora diatheſis adeſt phlogiſtica; et quandocunque aliquid hujuſmodi contingit, haud raro, etiam levibus ex cauſis, inflammatio in laxioribus ejuſdem vaſis cietur; quia enim omnia propulſa eo, quo minus obſiſtitur illis, facilius progrediuntur, ſanguis in partes, quae maxime laxantur, profluit, atque, cedentibus iis, nec amplius ejus curſum promoventibus, congeritur.

Quamvis autem capitis et partium, quae ad idem pertinent, vaſa, proportione cujuſvis propria, fuerint denſiora facta, ea, quibus incidit tonſillaris angina, ex natura laxiora ſunt, quam caetera. Ratio igitur, quae, me judice, de hac re perhiberi poteſt, eſt haec; quod, ſanguine majori copia ad caput, et partes vicinas nunc propulſo, arteriae exinde denſiores fiunt magiſque impetui ejus obſiſtunt; quia autem earum aliquae magis quam aliae valentes et craſſae ſunt, laxiores facilius appetet ſanguis et opplebit; atque hinc partes iſtae, praeter

* Cullen's Firſt Lines, vol. II.

praeter ſolitum laxatae, invaſioni hujus affectionis multum favebunt; ſicut experientia quotidie monſtrat: Inter conditionis iſtiuſmodi cauſas recenſeantur,

Morbus ſaepe iteratus *: Ut vaſis ſanguinem vehentibus ſit debitus tonus, utque ſe rite exerceant, repleantur quodammodo, neceſſarium eſt; ſi quando autem diſtendantur valde, vigorem ſuum amittunt, et quaſi languent poſtea: Atqui inflammatione, ut ignorat nemo, diſtenduntur omnia, quae illa arripit, et interdum adeo ut poſtea in parte illa vigor nunquam renovari poſſit; ſicut quum ſphacelus inſequitur: Et idcirco angina, quam inflammatio ſemper adfert ſecum, vaſa ibi ſita debilitat, et laxat; atque propterea nimio ſanguini influenti favens, ſui recurſum promovet: Eundem quoque effectum hydrargyri abuſus praeſtet.

Calor, quamvis vitae ipſi tam neceſſarius ſit, immodicus humanum corpus male afficit: Talis enim laxat admodum muſculorum fibras et infirmat; hacque ex cauſa fortaſſe viri pluſquam foeminae hoc malo corripi ſolent; etenim collum non tantum denudare ſolent †; calor quidem, adjuncta humiditate, praecipue laxat.

Unius exempli, in quo morbus hanc ultimam pro cauſa ejus praediſponente habet, mentionem faciam: Mulier triginta et duos annos nata, per totum fere diem, dum veſtes lavavit, vaporibus aquae calidae objecta fuit;

* Cullen's Firſt Lines.

† Homei Princ. Med.

ſuit; inter talem vero laborem capiti et collo vapores admoveri praecipue, omnibus notum eſt: Veſpere, ſub Solis occaſum, ei juxta 250 paſſuum erat ambulaturum; caput interea ſolito more obvolvebatur; haec, ipſa nocte, ſigna, quae hanc anginam comitari ſolent, exhibuit illa; quae etiam, nec lente, augebantur; et poſtero die, circa meridiem, eam cum ego viſi, tonſillae admodum intumuerant, nec ſalivam niſi cum ingenti dolore deglutire potuit; nunquam vero hoc morbo correpta fuerat antea.

Quia fortaſſe ſunt laxae et ad impetum ſanguinis expoſitae fauces, inflammationi concipiendae obnoxiae ſunt, fere quantum ipſi pulmones: Calor vero, cum adeſt, prioribus magis directe, quam poſterioribus, admovetur; magis propterea illae laxantur, et irritabiliores redduntur: Vere igitur et autumno, (morbo nunquam epidemico, niſi frigore alternetur calor) ratio ut mihi videtur optima, quia tam frequens fit morbus, eſt haec; calore fere nunquam in his temporibus diu manenente, iſtae partes, quae prae aliis ei objiciuntur, maxime ejus effectus percipiunt, et inde malis, quae frigus nunc ſubito, et vehemens non raro cum calore alternans, inferant, ſunt obnoxiae *.

Quo aliae partes magis ſunt robuſtae et firmiores, eo, hae debiles et laxatae hoc morbo concipiendo magis erunt

* Nec dubitandum eſt quin calor, ſanguinem rareſaciendo, majus obnoxium morbis inflammatoriis facit corpus.

erunt obnoxiae ; hujus rei explicatio a ſupra prolatis patebit.

Facilius adhuc haec affectio inducitur, ſi, adjunctis eis quae memorata ſunt, plethora adſit ; ad hanc inducendam, vinum et cibus e carnibus paratus, exinanitiones naturales aut arte excitatae, cohibitae ; vita iners et ſedentaria, praeſertim aëre humido et frigeſcente, multum conferunt.

CAUSAE EXCITANTES.

Cujuſvis ſeculi experientia monſtravit frigus inflammationi praecipuae eſſe cauſae excitanti ; mirum eſt propterea quoſdam nuperos hoc verum eſſe negare: Conamina autem eorum, ut expectandum erat, vana ſunt et irrita ; etenim experientia omnium medicinam exercentium longe aliter rem ſe habere teſtatur. Si quod Huxham de cujuſcunque anni tempeſtatis morbis in tabulas retulit, verſamus in animo, inflammationis cauſam praecipuam eſſe frigus, facile concedemus : Ei, ex obſervationibus, et longa experientia, ratum videbatur, quod quandocunque hyemis vehementior erat vis et gelu intenſum, omnes, qui tunc graſſabantur morbi, inflammatorii erant ; quod inſuper cum tantum omnia rigeſcebant

rigeſcebant frigore, ut etiam mare juxta ejus littora glacie obtegebatur, omnes morbi humanum genus adorientes inflammationem ſecum adferebant ; et inflammatio illa vehementior erat, quam aliis tempeſtatibus: In tali etiam coelo, magis quam in alio quocunque, venaeſectio (junioribus etiam) nunquam in ejus temporibus magis neceſſaria erat ; ſi quando enim detractus fuit ſanguis, inflammationis indicia exhibebat, et pelle coriacea obtegebatur.

Quamvis non denegari poteſt, frigus ſedare adeo, ut ipſam mortem inferat, quando aut diu, aut vehementius admotum fuit ; lenius vero aut brevius, ſedans aſtringente ſtimulanteque ſuperatur effectus. Cum frigus, ſed non ita ut ſedantem effectum inducat, per longum tempus applicatum ſit, corpus firmat et valde roborat : Cum autem breve eſt tempus, et gradus major extrema ſummi corporis vaſa fere ſolum aſtringit ; hinc quod perſpiratione effluere debet in corpore continetur, fluidorum quantitas augetur, et vaſa inde non ſolum diſtentione, ſed acrimonia ſtimulantur, et ad actionem auctam cientur. Haec aliquando in toto arteriarum ſyſtemate primo accidit, et poſtea quaedam pars inflammatur ; aliquando etiam in parte incipit, et inde ad cor et arterias transfertur.

Frigus hujuſmodi morbum facillime inducit, vento per feneſtrae rimas illapſo, et ad collum applicato *, dum

* Sauvageſii Noſolog.

dum corpus calet: Ad eundem necnon inducendum conferunt valde aurae adverſae *, potus gelidi †, et pedes frigidi atque madidi ‡.

Variis ſcriptoribus multae anginae tonſillaris aliae cauſae fuerunt recenſitae; ut *acria* aut nimis *ſtimulantia ingeſta* ‖; quae inter in ventriculum tranſeundum ex neceſſitate morbi ſedem contingunt et irritant: Inter cauſas quoque recenſentur ea, quae mole et magnitudine, ſicut *mechanica vi*, nocent. Acria quoque *effluvia* ut cauſa fuerunt enumerata §; organa inſuper iſta cantu vel loquela vehementi nimis exercitata ¶; et iſtiuſmodi, inter hujus morbi cauſas excitantes exiſtimata ſunt.

Ut ejuſdem cauſae necon, ſed quae etiam magis ſunt remotae, quam ſupra recenſitae (quae vero, quia peculiariter agunt, non ſunt *univerſae* habendae) recenſeantur, flexo corpore, caput diutius depreſſum; collum ligatura quavis arctius conſtrictum, &c.

Aliae inſuper ſunt cauſae, quae aut hunc morbum inferunt, aut ſaltem aliquid ei admodum ſimile; quarum,

* Boerhaavii Aphoriſ.

† Homei Princ. Med.

‡ Culleni praelect.

‖ Home, Gregory's Pract. Phyſ.

§ Gregory's Pract. Phyſ.

¶ Home, Boerhaave.

rum, ei ſupra recenſitarum, operatio aut fortaſſe ſit ſimilis, aut ab omnium longe diverſa: De hac vero re nihil ut ſtatutum et compertum proponere audeo; ſunt enim hydrargyrum, morbi quidam, ut ſyphilis *, &c. qui praecipue fauces arripiunt; at ex iis non niſi hydrargyrum forſitan recenſeri debet; quia mala cuncta ab eo provenientia tali medendi rationi cedunt, qualis in hac diſſertatione eſt proponenda.

CAUSA PROXIMA.

Artis ſalutaris nulla pars eam exercentibus, etiam doctiſſimis, difficilior fuit, aut pluribus notionibus hypotheticis originem praebuit, quam morborum cauſae proximae. Sententiam eam, quae ubique audiatur, hic citare non abſonum videtur, viz. "quae maxime optanda ſunt "difficillime comparantur." In hoc vero morbo non tantum, quantum in multis aliis, talis cauſa eſt obſcura; et ab iis, quae de praediſponentibus cauſis et excitantibus memorata ſunt, hanc detegere non erit difficile.

In proximam cauſam ponendo, ea ſunt in rationem ſumenda, quibus ſublatis, ceſſat quoque morbus; inter illa-

* Boerhaave, Home.

illaque, in hac affectione videtur *laxitas* eſſe arteriarum, quae impenduntur in faucium membranam mucoſam, et praecipue in earum partem iſtam, qua tonſillae efformantur; hinc enim ſanguis in iſtos inſolita copia propulſus, et in vaſis congeſtus, diſtendit illa; et, extremis eorundem occluſis, actio augetur. De omnibus his, praeter extremorum vaſorum conſtrictionem, res non dubitare nos ſinunt: De ea vero interrogetur forſitan, quare, ſi illa ſpaſmo corripiuntur in hoc morbo, tam large eliminatur a partibus affectis mucus? Reſpondeo autem, quod plerumque, incipiente morbo, nil tale contingit; quandocumque inſuper copioſe idem emanat, ad morbum ſolvendum non leviter confert; et, quamvis haud ſemper, etiamſi diutius profluxerit, morbus ceſſat, non tamen inde colligere licet, quod morbo nunquam ex tali profluvio finis imponitur; ut enim, in praelectionibus ſuis celeberrimus Monro adnotavit, quando gingivae in dentitione, nervis ſuis compreſſis, inflammationem concipiunt; quamvis non dubitandum eſt, quod eadem, inciſione facta, citiſſime et certiſſime ſummovetur; tamen, ſi per tempus longiuſculum manſerit, et in vicinas partes ſe diffuderit, etiam hoc auxilium ſubinde irritum et nihili erit: Praeterea, ſi quando frigus tantum corpori admovetur, quantum ad extrema vaſa conſtringenda, et propterea exhalationem per cutem ſupprimendam ſufficiat, plerumque, nunc pulmonum laborantium ſigna, nunc gravedinis, aut an-

ginae

ginae graviora aut leviora inſequi obſervamus; non vero hic praetermittendum eſt, quod interdum diarrhoea, interdum ſudor largus, vel in parte affecta quaelibet aucta excretio, aut ne ſymptomata vehementiora fiant, prohibet, aut etiam forte ipſum ſolvit morbum; atque hinc caligo, quod, poſtquam tale admotum fuit frigus, quale ad extrema corporis vaſa conſtringenda ſufficiat, (quamvis nulla inflammationis ſigna, ſive comitantia ſive inſequentia, ſe in conſpectum ediderint, ſed diarrhoea ſupervenerit, aut aliqua deinceps aucta fuerit excretio) iſtiuſmodi affectiones exorturae ſunt, ſi talia abſint profluvia.

RATIO SYMPTOMATUM.

Quare in gutture quaſi aſperum quoddam perſentitur, rationem perhibere conabimur. Quoniam, ſi mihi opinionem proferre liceat, hoc ſignum, ingruente angina, accidere non ſolet, niſi quum frigus eidem excitanti fuit cauſae, non poſſum non opinari ~~morbum~~ exortum eſſe a muco, quae vaſa ~~iſta, et~~ membrana illarum partium mucoſae nimis parca copia excreverunt: Ut hoc illuſtretur ſolummodo obſervandum eſt, quantum

variari, variante coelo, ſolet, illarum partium conditio, quae externo aëri objiciuntur; etenim et vultus et manus aeſtate atque hyeme *diverſe ſe habent*, et non prorſus eandem ſpeciem exhibent.

Quare fauces dolent, ad inflammationem praecipue eſt referendum; ſcilicet, quia omnia vaſa inflammata diſtenduntur, et inde vix parti cuicunque ſic affectae unquam deeſt plus minuſve doloris; quandocunque inſuper inflammatio iſtas partes, quibus inſidet hic morbus, corripuit, membrana intus obducens ſemper fit craſſior; et huc referendum eſt, *quare anguſtiae ſenſus* fere ſemper in hujuſmodi incommodis aegrum moleſtat.

Quare aures dolent? Explicatio quam nobis perhibuit celeberrimus Van Swieten, et alii, eſt haec; quod per tubum Euſtachianum haec affectio a faucibus ad aures extenditur: Alii autem ad ramum tertium quinti paris nervorum, qui faucium et aurium partem impertitur, hanc affectionem retulere *; nempe quia dentium dolor ſaepe adeſt anginae tonſillari. Opinionem propriam, nequaquam vero fiducia, nunc prolaturus ſum; quis enim de rebus, quae tantum, inter maxime inſignes Phyſiologos, litem excitarunt, multum audebit? Diſputantibus propterea iis, nec hujus opinionem confirmare, nec illius refellere tentabo; ſed contentus ero indicans

* Syſtem of Anatomy.

indicans maxime veriſimile videri eſſe, nervos aurium et faucium, inter ſe conſentientes, huic incommodo praeſertim perhibere originem; etenim aliquando dentis cujuſdam dolor nequaquam vexat tantum, quantum ille, qui in auribus perſentitur: Patet hinc eundem per Euſtachianum tubum non eo extendi, ſed nervis mutuo communicantibus in iſta organa deferri.

Faucium tumor in hac, me judice, ſicut in aliis inflammationibus ad ſanguinem, copia inſolita in earum vaſis congeſtum, eſt adſcribendus, et magis forſitan adhuc ad humores in telam celluloſam ibi abundantem effuſos *; etenim, ut ait illuſt. Cullen, "Tumors "ſeldom appear but in parts adjoining to a lax cellular "texture."

Quare eſt deglutitio difficilis? Quoniam quaecunque functio animantium muſculis perficienda, ex neceſſitate conturbatur, ſi quando illi male ſe habent, deglutitionem aegre perfici, muſculis ei inſervientibus in hac affectione tam vehementer inflammatis, non mirum eſt. Nec inſuper obſcurum erit, quapropter liquida difficilius, quam ipſe cibus, aſſumuntur; magis enim deglutitioni inſervientes muſculi inter bibendum, quam edendum, exercentur, magiſque contrahuntur; ut enim, paucis exceptis, ad muſculorum actionem in hujuſmodi inflammationibus dolor eſt attribuendus, et ab eo

* Cullen's Firſt Lines.

eo deglutiendi difficultas exoritur, quo magis labor eorum augetur, eo major erit moleſtia: Hinc tam aegre in hac affectione ſaliva deglutitur et tantum angit, ut complures annotarunt auctores, quod omnia corporis (ut ſupra adnotavimus in hiſtoria) tremore corripiuntur: At, ſaliva per fauces aut deſcendente aut aſcendente, hoc injucundum adeſt praeterea, quod non ſolum fluida eſt, ſed viſcida; ideoque in iſtis partibus tardatur et inſolita copia congeritur; deinceps ſine quiete excreatur, nec niſi multo labore expuitur: Incommodum hoc non leve eſt, et morbus ab eo multum exaſperatur *; inflammatione ad pharynga et oeſophagum ſe extendente, aegrius adhuc deglutitur †; ſicque rebus ſe habentibus, quando aliquid ore aſſumitur, tuſſi fit cauſae; et ab ea per nares ejicitur quodcunque fuit acceptum ‡; et nonnunquam, ſed raro quidem, tantus ſit tumor, ut etiam cibo aſſumendo iter obſtruit.

Quare laborat reſpiratio? Ut ſupra prolatum fuit, non ſemper huic affectioni adnectitur hoc, et inſuper raro eſt valde inquietans; quandocunque autem haec difficultas urget, et inflammatio ſolummodo partes, quas jam ut morbi ſedem memoravimus, corripuit, ejus

* M'Bride's Pract. of Phyſic.

† Cullen's Firſt Lines.

‡ Van Swieten Comt. Boerh. aphor. Hippoc. de Morbis, lib. II. cap. 9.

ejus ut cauſae proculdubio habendus eſt faucium tumor et narium membrana craſſior facta: Si vero forte ad Larynga eadem affectio ſit diffuſa, ſicut interdum fortaſſe, tam difficilis ſit reſpirationis labor, ut etiam, quamvis non ingens ſit tumor, mors inferatur *. Van Swieten quorundam infelicium, in quibus, ut opinatur ille, vitium ab his partibus ad pulmones devehebatur, mentionem fecit; ex iis autem, quae idem auctor protulit, in animo concipere poſſum, ſedem ſuam illa non tam longe tranſtuliſſe, ſed in modo ſupra citato, aegrum morti dediſſe, admodum veriſimile videtur.

Ut cauſam ſuam agnoſcere videtur *nauſea*, quae in angina tonſillari moleſtat, faucium irritationem †.

DIAGNOSIS.

Cum angina tonſillari pauci morbi confundi poſſunt; niſi illi quos ill. Cullen in noſologia ejus methodica nomine *cynanche* inſignivit; iſti ſunt maligna, trachealis, pharyngaea, et parotidoea; alia vero mala humanum genus infeſtant, quae, et cum hac affectione fuerunt confuſa, et fortaſſe poſtea confundantur: Venereus

* Van Swiet. Comment. Boerh. aph. 805.

† Homei Princ. Med.

nereus enim morbus et ſcarlatina febris vix non fauces arripiunt.

Quomodo iſti morbi a ſe invicem diſcerni poſſunt, proxime eſt adnotandum. Cynanchi *malignae* incipienti adeſt pyrexia, et quae eam comitari aut ſequi ſolent, ut frigoris ſenſus, tremor, *nauſea*, anxietas, et vomitus. Deſunt vero illa omnia, praeter id quod primum enumeratur, anginae tonſillaris initiis; aut ſi forſitan adſint, levia ſunt, nec magni momenti; etiam ipſe frigoris ſenſus non eſt ingens, et aliquando vix ſentiendus.

In angina tonſillari ab arteriis micatur valide, plene, et celeriter; in autem maligna ſubmiſſe, crebro, et irregulariter *: In maligna raro laborat deglutitio, aut dolore ſtipatur; in hac vero difficilis eſt et dolens: In maligna nec non fauces, quanquam rubeant admodum, non multum inflammantur; tonſillaris inſuper praecipue robuſtos et vegetos adoritur; at altera debiliores, aetate teneros, atque infirmatos †.

Quae ſupra fuerunt prolata, ſi attente in animo verſentur, nobis plane indicabunt, uter adeſt morbus; et revera magni eſt momenti negotium; ſi enim, quis ſit morbus, ignoremus, periculum eſt, ne eodem modo anginam tonſillarem ac malignam tractemus; et inde aegro valde noceamus: Poſtquam vero per duos aut

tres

* Cullen's Firſt Lines.

† Cullen, Home, &c.

tres dies commoratus eſt morbus, vix dubitare licebit, uter ſit; namque in maligna, maculae albeſcentes et confluentes in faucibus conſpiciuntur, atque cruſtae mucoſae, decedentibus quibus, ulcera ſubtus deteguntur; praeterea in hac, ſed non in tonſillari angina, effloreſcit cutis: Porro, in maligna acribus humoribus excoriantur nares, os, fauces; et, diarrhoea excitata, anus; in hac vero quicunque latex excernitur, tam mitis eſt, quod nullos tales effectus inducit: Abeſt fere ſemper eidem denique delirium, in illa cito exoriens.

Quia cynanchen *trachealem* anguſtiae ſenſus et dolor, circa laryngem, comitatur, ab hac facile diſtinguitur; in illa nec non fauces non multum tument, aut dolent, et interdum a talibus affectionibus prorſus immunes ſunt; tuſſis vero quatit, et raucus eſt aeger; clangoſa nec non vox; dum deglutitio non multum turbatur *.

Quomodo hic morbus a cynanche *pharyngaea* diſtinguatur, (quamvis de hac re auctores quidam verba multa fecerint) non neceſſarium eſſe videtur indicantem hic morari; illa enim raro ut idiopathica nobis occurrit; quiaque a priori oritur plerumque, et medendi ratio ambabus ſemper eadem eſt, talis diſtinctio ſupervacanea foret †.

Facilius

* Culleni Synopſ. Method. vol. II. G. X. Sp. III.

† Cullen's Firſt Lines, vol. I. p. 359.

Facilius adhuc, ab hac, cynanche parotidaea diſtingui poteſt; in illa enim externus eſt tumor, mobilis, atque quaſi glandulam tumidam ſimulans; poſtea per totum collum ſe extendit; in illa inſuper, et hoc colli latus et illud afficitur; intus non inflammantur fauces, nec impeditur deglutitio.

Ut tonſillarum inflammatio labe venerea illata multum diſcrepat, quod ad medendi rationem, ab hac, non inutile videtur innuere, quibus ſignis illae mutuo diſcernantur. In faucium venereis affectionibus ulcera conica oriuntur forma; margines nec non eorum circumſcripti ſunt, prominentes, rubentes, et tacti aliquantulum duriores digitum offendunt * ; quamvis autem in *idiopathica angina tonſillari* ulcera obſervari poſſint, ſpecies eorum longe alia eſt. Non alienum erit hic obſervare, quod ſi noſtram diagnoſin ex febre abſente efformemus, interdum fallamur; etenim, quando tali objectum fuit frigori corpus, quale ſufficeret aliter, ad hanc affectionem inducendam, venerea ſigna, quae latuerunt antea, prorumpent forſitan, et deinceps fauces, ante immunes, arripientur.

His vero non omnino quidem eſt fidendum; neceſſarium enim reperietur cognoſcere, quibuſcum et qualibus morbis antea conflictatus eſt aeger.

In

* Swediaur on the Ven. Diſ.

In febre ſcarlatina eadem fere eſt faucium ſpecies, ac quae in noſtro hoc morbo; at eadem ſemper plus minuſve cruſtas mucoſas exhibet; in hac autem affectione, eae non niſi interdum conſpiciendae ſunt, et nunquam tam cito. Tribus vel quatuor diebus elapſis clarior evadit diagnoſis; tunc enim, ſi ſcarlatina febris arripuit, ſe in conſpectum edit quaedam eruptio.

P R O G N O S I S.

Ut forſitan artem ſalutarem per longam vitam exercentibus vix occurret lethalis angina tonſillaris; ut necnon, aut in reſolutionem aut in ſuppurationem deſinit, (illam certe deſiderandam, hanc fere ſemper evitandam) praecipuum hic erit, ut in rationem aſſumamus, quibus indiciis hic aut ille exitus praecognoſcendus eſt: Hoc quidem negotium aggrediemur; nec protinus hanc noſtrae diſſertationis partem derelinquemus, uſquedum ſigna periculum indicantia quaedam retulerimus.

Quandocunque morbus per paucos dies ſolummodo perſtitit, atque nec dolor nec inflammatio ingens fuit, expectanda eſt reſolutio; magiſque adhuc, ſi in partibus laborantibus emanat ſudor, et mucus largus excernitur: Inflammatio, ut adnotavit cel. Cullen, ſedem

ſuam ab hac in illam tonſillam dimovens ſigno erit plerumque ſuppurationis non inſecuturae: Plerumque, ut commonuit quidam, non obſcuri nominis, ante ſextam diem fere ſemper contingit reſolutio.

Si quando autem morbus per quinque dies manſit, nec ſigna reſolutionis ſe oſtenderunt, ſuppurationem inſecuturam eſſe ſuſpicari licet *; ut et, ſiquando dolor minus evadit acutus, nec omnino *pulſans ſicut arteriae* vibrant; ſi illae necnon magis formicantes fiunt; pars inflammata minus rubeſcens, atque febris indicia, quamvis non ceſſantia, leniora tamen, ſuppurationem praedicant; horripilatio inſuper et tremor ſuppurationem jam exiſtere, et revera incepiſſe, erunt indicia †.

Gangraenam incepturam ex tempore, per quod perſtitit morbus, febris viribus, dolore auctiore, tumore majore et majus calente, praeſagimus: Cruſtae mucoſae in hac affectione non multum periculi, quamvis gangraenae ſolitae ſint praenuncii, intentat ‡. Talis terminatio certe non multum timenda eſt; cel. M'Bride namque gangraenam ex incommodo hocce rariſſime exoriri adnotavit; in praelectionibus ejus de hoc morbo differens (ſi rite reminiſcor) doctiſſimus Cullen, ſe nunquam in gangraenam eam abire obſervaſſe aſſeverat.

Ca-

* M'Bride's Pract. of Phyſic.

† Cullen, M'Bride.

‡ Ib.

Cavendum eſt praecipue, ut multi adnotaverunt auctores, ne, reſpiratione laborante in hac affectione, aegre per pulmones tranſmittatur ſanguis; quicunque enim effectus ſit reſpirationis, non dubitandum eſt, teſtantibus multis, quin hominum complures hac affectione laborantes ex iſtiuſmodi cauſa morti ſuccubuerunt: Si ob tumoris magnitudinem ſolam aegre ſpiratur, nequaquam valde eſt timendum; ſi vero difficile perficitur reſpiratio, dum fauces non valde tument; aut magis etiam, hoc ſigno incipiente, injucundum eſt augurium; tunc enim licet in animo concipere, inflammationem quandam reſpirationi partem magis neceſſariam corripuiſſe *. Siquando autem in vehementioribus hujuſmodi malis tumor externus oriatur, bonum eſt †.

Ingenti capitis dolore, et delirio hunc morbum comitantibus, periculum non leve adeſt ‡.

MEDENDI RATIO.

Ut ſupra dictum eſt, reſolutione plerumque, et interdum ſuppuratione hic morbus deſinit, raroque aliter; ſicut

* Boerhaave, Van Swieten.

† Ib. ———— M'Bride.

‡ Ib.

ſicut nuperiorum omnium experientia teſtatur : reſolutio, utpote quae naturae convenit maxime, exoptanda, et certe tutiſſima eſt : Quomodo igitur hunc effectum conſequamur, primo indicabo, et in id praecipuam impendam attentionem ; huc ſpectans, antequam ad ipſa remedia progredior, tria conſilia proponam, viz.

I. Ut cauſae remotae ſummoveantur.

II. Ut ſanguis ad fauces inſolita copia propulſus minuatur ; ſpaſmus vaſorum extremorum tollatur, et humores ibi congeſti diſſipentur.

III. Iſtis partibus ut vigor ſolitus reſtituatur, aut etiam augeatur idem.

Quod ad primum conſilium, quia neminem latet quomodo perfici debet, id praetermittam, et ad ſecundam properabo.

II. Siquando ad hanc aut illam partem ſanguis inſolita copia propellatur, plethoram univerſam effectus inde orituros multum promovere, neminem latet ; ut igitur de hoc caveatur, utile erit *ſanguinem detrahi* ex brachio, ſi pyrexia adeſt : Quoniam vero, nec plethora nec pyrexia hoc malum ſemper comitatur, id remedium non niſi interdum poſtulabitur : Saltem talis opinio apud eos, quibus maxime fidendum eſt, hodie invaluit. Si vero detrahatur ſanguis oportet, aut a parte affecta aut a quadam vicina mitti debet ; hirudines nempe admovendo extrinſecus, &c. aut ipſas tonſillas ſcarificando : Pertundenda autem eſt raro jugularis vena. En

quid

quid *Celſus* de hac re protulit : " Mitte vero, ſi debet, ſi " totius corporis cauſa ſit, ex brachio : Si partis alicu- " jus, ex ea ipſa parte, aut certe quam proxima." Si quidem tumor exortus eſt inſignis, adſit an abſit febris, topica ſanguinis detractio celebrari debet, una cum, aut ſine univerſa.

Hoc praecipue erit idoneum iis, quorum aetas ad *acmen* jam progreſſa eſt ; qui ſanguineo temperamento et phlogiſtico ſunt ; qui inſuper non fuerunt antea tali affectione correpti : Anni vero tempeſtas et aegri conſuetudines non ſunt negligendae, quandocunque de hoc remedio uſurpando judicamus.

Quadam theoria inducti, veteres in hoc morbo, ſicut in omnibus capitis et vicinarum partium affectionibus, *alvi dejectionem* uſurpabant multum ; nec apud homines obſolevit uſus, uſquedum cel. Cullen eam ad quaeſtionem, non ſine cauſa, quantum ego novi, adduxit ; et an idoneus eſſet dubitavit : Argumenta, quae adverſus eundem protulit, in hac ſicut in aliis inflammationibus inter ejus ſcripta proſtant. Unum eſt quidem, quod cathartica uſurpare forſitan ſuadere videatur ; nempe, quod ſtimulantibus iis, ſanguis a partibus affectis ad inteſtina divertatur ; at quum in rationem aſſumimus, quam longinque ſint iſtae partes et a quam diſtantibus arteriis ſanguinem ſuam accipiunt, vix magni habebitur talis exinanitio.

Utcumque

Utcumque vero de catharticis ratiocinemur, laxa ſervari debet alvus; aſtricta enim in omni inflammatione multo incommodo ſolet eſſe.

In hac ut in aliis hujuſmodi affectionibus utilia erunt *epiſpaſtica*; illa non propter humoris quantitatem detractam proficiunt, ſed quia ſtimulo ſunt; et propterea in partes, quibus admoventur magis allicientia humores, ab iis quae afficiuntur eaſdem divertunt: Taliumque applicationum ſubiti effectus videntur ſic optime explicari. In hac aeque ac in aliis inflammationibus illa juxta partem affectam admoveri debent.

Eodem praeterea aeque ac epiſpaſticis ſpectant *rubefacientia*; quorum, ut in praelectionibus ſuis profatus eſt cel. Cullen, nullum eſt praeſtantius, quam cauſt. vol. alk. cum pauxillo ol. mitis commiſtum.

Sanguinem detrahere, ſiquando idoneum videatur, praecipue cum fructu uſurpabitur, antequam haec auxilia fuerunt tentata.

Nec nullius momenti erit aegri *caput* recumbentis aliquantulum *elevari*, et eum non omnino reſupinum cubare.

Inutile non erit praeterea, ſi in fauces recipiuntur *tepidae aquae vapores*; inſtrumentum quod *Mudge* excogitavit huic maxime convenit: Quandocunque autem id non in promptu eſt, ſunt alia, quae vix aliquis populi ignorat, viz. vas in quo theae infuſio perficitur; et ſugendus eſt vapor quamdiu res poſtulent: Hinc enim

mucus

mucus in faucibus collectus, et inde irritans, atque propterea inflammationem promovens, tenuior fiet redditus et facilius elabetur; et extremorum vaſorum tollatur ſpaſmus: ipſemet conſpexi quoſdam, qui, quando tali modo laborarunt, et irritae fuerant aliae applicationes, hac ratione ad ſanitatem ſubito reducebantur.

Proculdubio in hac affectione, tale auxilium non eſt plerumque, ob beneficia ejus, negligendum; niſi vero cito beneficia praeſtet, omitti debet; aucto enim calore, impetu majore propelletur ſanguis, et inde citius malum, quam aliquid exoptandum, inſequetur.

Emollientia gargariſmata laudes ſuas adepta fuerunt; at remedio jam recenſito antea uſurpato, eadem plerumque ſupervacanea erunt: Melius vero haec operatio, (ſi neceſſaria habeatur) adſtante quodam, quam ipſo aegro perficitur; periculum eſt enim, ne quando ipſi aegrotanti permittatur, ejus conamine morbus augetur *.

Ob hunc morbum ſummovendum gum. guaic. auctore cel. Home fuit commendatum his verbis: "Gum. "guaiac. poſt debitas evacuationes exhibitus, quod "inſtar ſpecifici in hoc morbo operatur."

Quod ad reſolutionem hujus inflammationis inducendam, ipſum *vomitum* utiliter ſuſcitari poſſe, ineunte morbo, adnotavit ill. Cullen; at, quia ſudore reſolvitur

nonnun-

* M'Bride, Pract. of Phyſ.

nonnunquam, forſitan *nauſea* utilior ſit, provectiori eodem.

Una cum his, fere omne, quod ad *antiphlogiſticum regimen* pertinet, eſt uſurpandum.

Regimen Antiphlogiſticum.

I. Haec irritamenta, quae fere ſemper corpori admoventur evitare vel temperare et lenire; ſicut,

A. Impreſſiones in ſenſus factas, praecipue

a. Calorem auctum, anne originem habeat ab

α. Calore externo corpori applicato, vel,

αα. Caloris corporis accumulatione:

B. Exercitationem corporis:

C. ———— mentis, quantum fieri poteſt:

D. Ingeſta nimia:

E. Quaſdam irritationes orientes,

a. A ſenſu ſitis,

b. Crudis et ſaburra, vel humoribus corruptis in ventriculo,

c. Inſolita faecium retentione,

d. Generali fluidorum acrimonia *.

Quoniam

* Cullen's Firſt Lines.

Quoniam haec tabula non ex toto huic morbo accommodatur, me pauca verba de ea proferre non abſonum erit.

Calor, qui in fere omnibus aliis inflammationibus eſt maxime evitandus, in hoc magno cum beneficio uti poſſumus. Hoc probatur, *panno laneo* faucibus circumjecto (qui ſedulo uſurpandus eſſe debet) et cubiculo tepore modico haud parvum incommodum ad morbum ſolvendum prebente.

Extrema vaſa in corporis ſuperficie laxat admodum calor, et humorum impetum eo dirigit; hinc copioſe et libere fluit ſudor, et ſanguis a partibus affectis elicitur.

Calor praecipue malus eſt in his morbis, in quibus ſpaſmus extremorum vaſorum ſummi corporis et partis affectae pertinax adeſt: Ex ſignis autem jamjam enumeratis, ſpaſmum hunc morbum comitantem non eſſe magnum putare licet.

Frigus, in hoc morbo ſine impune admoveri non poſſe, nunc non dubitandum eſt; nam vaſa in ſummo corpore extrema conſtringendo, hincque exhalationem per cutem impediendo, vaſorum actio et cordis augetur; atque fauces verſus majori copia impellitur ſanguis.

Cibus nec magna quantitate nec frequenter aſſumendus eſt; et ex *vegetabilibus* confici debet.

Lenienda eſt ſitis, ſero lactis, pomorum infuſione, vel aqua tepore modica cum pauxillo aceti mixta.

Iiſdem remediis humores corrupti in ventriculo latentes ſunt optime corrigendi. Si morbum incipientem excipias, plenum vomitum excitare haud tutum eſt; quia ſanguinis determinationem ad fauces auget.

Haec etiam ad acrimoniam fluidorum corrigendum praecipue utilia ſunt.

Fluida optime aſſumuntur per inſtrumentum idoneum ſugendo; namque, ſi in alio modo deglutiuntur, dolor magis exaſperatur, et morbus acerbior fit.

Retentio faecum, praeter naturam, *purgantibus mitibus* tolli poteſt; ſicut manna cum ſale Rupellenſi, magneſia, tamarindorum infuſione, electuario cremoris tartari vel ejuſdem ſolutione, &c.; ſi autem non ore, ſine magno dolore, aſſumi poſſunt, melius erit *claſmatis* laxantibus et antiphlogiſticis uti.

Larynx atque pharynx laborantes ſolitis rationibus, potentioribus quidem, tractandae ſunt; prior autem affectio eſt praeſertim metuenda: Et ſi dolet caput, ſanguis etiam ex temporibus cucurbitulis cum ferro aut alio modo detractus, et epiſpaſtica faucibus applicata, praecipua habenda ſunt auxilia; ſi autem maxime dolet, cum ſubſidet tumor, fomentationes etiam faucibus admovere debemus.

III Iſtis partibus ut vigor ſolitus reſtituatur, aut etiam augeatur idem.

Ad

Ad iſtos, quibus antea hujuſmodi affectio ſaepe contingit, hoc praecipue pertinet; eos etiam, qui debiles ſunt atque infirmi; quos nec non afficerunt cauſae, quae iſtas partes laxant; quandocunque inſuper remedia ſupra memorata fuerunt incaſſum uſurpata, et morbus ad reſolutionem ſpectat.

Remedia partibus affectis applicanda, *aſtringentia* ſunt atque *ſtimulantia.*

Aſtringentia varia gargariſmata fuerunt laudata; non vero multa eorum profuiſſe videntur, niſi quia illis acida immixta fuerunt; Peruv. cort. tinct. et roſ. atque vini, ut gargariſmatam partes componentes non raro in hoc morbo uſurpata fuerunt: Id quod et maxime idoneum et promptum obſervavit ill. Cullen, a decoctione querc. cort. alum. adjecto paratur. Stimulantia ſunt quoque varia; nullum vero, ſi caute adhibeatur, aut majus utile, aut minus incommodum eſt, quam liquor aliquis ardens; ſicut in quibuſdam aliis inflammationibus experientia commonſtravit: Atque multa expertus homo tali applicatione in hujuſmodi incommodo inflammationem valde imminutam conſpexit.

Quae ad reſolutionem promovendam attinent nunc percurruntur; at interdum, ſive pertinacior fuerit morbus, ſive medicus ſerius accerſitus, ſuppuratio ſupervenit. Quando illa inſtat, quam celerrime eſt promovenda; ad quod conferunt gargariſmata emollientia, et praeter omnia tepidae aquae vapores inhalati, ut

ſupra

ſupra juſſum eſt; nec inſuper nihili erunt externae applicationes, quae *perſpirationem reprimunt*, glutinoſa exiſtentia aut oleoſa, atque modice calentia, ut partes *laxentur*; niſi autem in vehementiori inflammatione, haec vix neceſſaria erint; quum etiam epiſpaſticorum uſus commendatur, ut inflammatio ad partes extremas alliciatur *.

Si quando pulſus validus eſt, plenus, et creber, aliquantulum ſanguinis a brachio detrahere non inutile ſit; languente vero circuitu, haec intentio non rite tali ſubductione perfici poteſt; nec convenit aliquid admoveri, quod arterias debilius et ſubmiſſius vibrare faciat.

Si vero, quamvis rationes ſupra recenſitae fuerint uſurpatae, neque ſuppurat neque reſolvitur tumor, ſed reſtat magnus, deglutitionem et reſpirationem impediens valde, clyſmatis *nutrientibus* aegri vires ſuſtentare neceſſarium erit, et forſitan ad *bronchotomiam* confugere; at illa nequaquam temere aggredienda †.

Suppuratio plerumque intra ſex dies ab initio mali contingit: Si quando revera arripiat, et abſceſſus non ſponte, ut ſolet, rumpatur, *ſcalpello* incidendus eſt. In hoc negotio non multum timoris adeſſe debet ‡.

Abſceſſu

* Boerhaave, Van Swieten, M'Bride.

† Cullen's Firſt Lines.

‡ Ib.

Abſceſſu rupto, aut arte aut ſponte, *detergentibus gargariſmatis* ulcus lavare quidam ſuaſerunt: M'Bride mel roſarum, cui adjungitur aq. hord. pauxillum aceti et myrrhae tinc. hic praecipue laudat. Si ſincerum pus ab ulcere profundatur, poſtremum forſitan non omnino conveniat; ut medicamentum ſtimulans enim ulceri ſanando impedimento ſit.

In debilioribus, poſt ſuppurationem, obſervatum fuit, quod non ſolum, ut remedia *topica*, aſtringentia, atque roborantia ſunt uſurpanda; ſed inſuper, ut *univerſa*, cort. Peruv. et quae ex chalybe parantur ore aſſumpta.

F I N I S